
BIBLIOTHECA
SCRIPTORVM GRAECORVM ET ROMANORVM
TEVBNERIANA

ALEXANDER LYCOPOLITANVS
CONTRA MANICHAEOS


EDIDIT
A. BRINKMANN





LIPSIAE
IN AEDIBVS B.G. TEVBNERI







ALEXANDRI LYCOPOLITANI

CONTRA

MANICHAEI OPINIONES DISPUTATIO

EDIDIT

AUGUSTUS BRINKMANN



LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI

MDCCCXCV

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI

Alexandri Lycopolitani philosophi Platonici contra Manichaei opiniones disputatio, in vastis patrum bibliothecarum armariis abscondita magis quam condita, non uno nomine videtur mihi digna esse, quae tandem aliquando in lucem proferatur suoque loco reponatur. Nam si verum est, quod est profecto, inde ab exeunte saeculo p. Chr. n. tertio tres quam maxime inter se certasse rationes atque disciplinas, Christianorum Platonicorum Manichaeorum, vel ideo memorabilis est hic libellus, quod praeter Simplicii ab explicandis Epicteti sententiis paullulum egredientis commentatiunculam earum controversiarum, quales Platonicis erant cum Manichaeis, unicum superest monumentum. Praeterea non modo omnibus qui extant ceteris eiusdem argumenti libris est vetustior, sed etiam haud pauca continet, quae ad illorum placita obscura valde nec satis explorata accuratius cognoscenda meliusque intellegenda vel maximi sint momenti. Denique ut alia mittam quae scitu digna insunt velut Zenonis Citiensis sententia adhuc neglecta, nescio an eo abunde commendetur libellus, quod quales tum cum scriptus est res Christianorum visae sint multis certe veterum deorum cultoribus clare evidenterque ostendit. Quam ob rem denuo eum edere atque iam ad archetypi codicis fidem recensere operae pretium esse duxi.

Omnes quotquot in bibliothecis asservantur huius commentationis libri manu scripti ut vetustate et virtute longe superat ita parens quoque est atque fons omnium bibliothecae Laurentianae plutei IX codex 23 Mediceus (M). Duae autem eius sunt partes quattuor foliis vacuis insertis distinctae, quae — sive membranae genus sive scribendi rationem sive librorum quos continent argumenta spectas — adeo inter se discrepant, ut duos diversae naturae diversaeque originis codices invita Minerva consutos esse pateat. In priore quae insunt indicavit Bandini catal. cod. gr. bibl. Laur. I p. 427 sqq., alter quem solum spectamus haec complectitur scripta:

1) fol. 168 Hominis nescio cuius versus senarii *ut apparet* [et ex ipsis et] *ex litteris quibusdam summo margini recentius adiectis ac semirecisis εἰς τὸν Βασίλειον βασιλέα in Basilium imperatorem. Horum initium desideratur avulsa videlicet pagina versus LX — ut ex eorum qui supersunt numeratione marginali colligitur — continente. Qui igitur erant olim versus CCXXXI propter memoratam iacturam reliqui sunt CLXXI.*[1])

2) fol. 170 *Διδύμου κατὰ Μανιχαίων.* Titulus paullo recentiore ut videtur manu minio, cuius praeterea nullum toto codice vestigium, in summo margine additus est. Igitur hoc quoque loco aut unum aut plura interciderunt folia.[2])

---

1) Bandini l. c. I p. 430.

2) Ita fit ut adversariorum nomen omnino non commemoretur. Adest tamen subscriptio ab ipso codicis librario

3) fol. 179 *Ἀλεξάνδρου Λυκοπολίτου ἐπιστρέψαντος ἐξ ἐθνῶν πρὸς τὰς Μανιχαίου δόξας.*

4) fol. 193 *Μεθοδίου περὶ τοῦ αὐτεξουσίου* libri fragmentum. Fol. 197 desinit codex in verbis *καὶ ναοὺς οὐκ ἐκ ναῶν* (p. 21, 9 ed. Bonwetsch.), quae olim sequebantur folia abscissa sunt et deperdita.

Exarata haec sunt accuratissime et elegantissime in membranae tenuis levis splendidae foliis altis 340 mm. latis 242 mm. (quorum quae litteris occupatur pars alta est 286 mm. lata 181 mm.) litteratura minuscula quam dicunt vetustissima, qualis erat saeculo IX et X ineunte: litterae grandes (c. 3 mm.) supra lineas membranae impressas (sunt autem XXX in unaquaque pagina) positae sunt omnes, minusculis nullae intermixtae sunt maiusculae, spiritus formas habent rectiangulas. *ι ἀνεκφώνητον* semper deest, accentus quoque et spiritus saepe omittuntur, in *ἤ* voce saepissime. Correctiones, quae perpaucae inveniuntur, omnes sunt ipsius librarii. Dolendum vero est notas quibus fasciculorum ordo indicetur foliis ad mensuram alterius codicis recisis non comparere.

Ex hoc igitur codice, quo tempore iam qualem nunc esse aegre ferimus mutilatus et truncatus erat,

---

exarata. — Editus est hic libellus a Combefisio in auctario novissimo bibl. patrum post Alexandrum Lycop. et a Basnagio in thesauro monum. eccles. et hist. sive Canisii lectt. antiq. tomo I p. 204 sqq. Et Gallandium (t. V) et Migneum (t. XXXIX) Combefisii editionem Basnagianae aliquanto accuratiori praetulisse vix est quod mireris.

sive ipso sive apographis ceteri qui mihi innotuerunt descripti sunt ad unum omnes.[1]) Sunt autem hi:

1) Ottobonianus graec. 194 chart. saec. XV vel XVI, olim *ex codicibus Ioannis Angeli ducis ab Altaemps*, continens Didymum, Alexandrum, Methodii fragmentum (desin. in verbis *οὐκ ἐκ ναῶν* sicut est in cod. Mediceo), alia multa.

2) Vindobonensis theol. graec. LII (secundum Nesselium, sec. Lambecium CXCIII) chart. saec. XVI, ab eodem librario scriptus a quo cod. XLIV (Didymus) et XLIX (Methodii fragm. Mediceum, cf. Bonwetsch *Methodius von Olympus* p. XV) et cum his antea Sambuci († 1584), dein Sebastiani Tengnagelii († 1636).

3) Barberinianus III 81 chart. 'saec. XVI vel XVII'. Insunt 1. *Alexander Lycopolita contra Manichaeos, item fragmentum ex libro Iosephi contra gentes* (= Hippolyti opp. ed. Lagard. p. 68 sqq.) — *ex antiquissimo msto Mediceo.*[2]) 2. *Didymus*

---

1) Id ita esse vel ex brevi quam propono illorum codicum enumeratione satis opinor perspicietur. Uniuscuiusque locos aliquot idoneos insigni in me voluntate H. Rabe aliique amici inspexerunt, qui quae ad me rettulerunt omnem tollunt dubitationem.

2) In librorum indice bibl. Barberinianae praeterea adnotatur *eruit Holstenius* ibidemque legitur *in opusculo S. Methodii de libero arbitrio lectiones variantes erutae ab Holstenio ex antiquissimo msto Mediceo.* Licet igitur hunc codicem appellare Holstenianum. Holstenius iam in 'iudicio de libris optimis . . . bibl. Mediceae' a. 1640 confecto (v. Lilienthal select. hist. et litter. Regim. 1715 p. 94) scripserat *Alexander Lycop. nec graece nec latine hactenus prodiit.* In indice librorum

c. Manichaeos. Subiunguntur in fine emendationes ad libros S. Methodii περὶ αὐτεξουσίου ex eodem codice excerpti. 3. 'Origenis' q. f. philosophumena aliaque multa, ut ex notulis adscriptis apparet, maximam partem e codicibus Mediceis descripta, in his Anastasii Sinaitae 'de homine ad imaginem dei facto' libri III.

4) Barberinianus IV 78 chart. saec. XVII, continens 'Origenis' philosoph., Didymum, Alexandrum, 'Iosephi' fragm., Anastasii Sinaitae libros III.

5) Vaticanus graec. 1942 chart. saec. XVII initio mutilus, continens praeter Theodori Lascaris imperatoris scripta theologica Didymum, Alexandrum, 'Iosephi' fragmentum. Exaratus videtur esse manu Laur. Portii bibliothecae Vaticanae scriptoris graeci. Et hunc codicem et Barberinianum IV 78 ex Holsteniano descriptos esse vel ex paucis iis quae comperta habeo satis apparet.[1])

6) Parisinus suppl. graec. 270 chart. saec. XVII

---

philos. Holstenii (v. Morhof Polyhistor. l. I c. 7 p. 67) postremus commemoratur Alexander Lycopolitanus.

1) Haec tria attulisse satis habeo. Exhibent editionis huius

p. 19, 13:

Med.	Barb. III 81	Barb. IV 78	Vat.
ἀπόκρισις	ἀσύκρισις	ἀσύκρισις	ἀσύγκρισις

p. 19, 18:

μεμειῶσθαι γοῦν	μ. γ' οὖν (sed ita corr. ut νῦν legi possit)	μ. νῦν	μ. γ' οὖν

p. 19, 19:

παύσηται	παύσεται	παύσεται	παύσεται.

miscell. Ermerici Bigotii († 1689) manu exaratus, foll. 187r—196v Alexandrum continens.[1])

7) Berolinensis i. Spanhemianorum vol. LI foll. 30—40. Alexandri libello haec subscripta sunt: *absolvi describere Florentiae 7. Sept. 1661. Volumen hoc in bibl. Medic. plut. IX no. 23.*[2])

8) Ab. Selleri codex, cuius mentio fit in 'catalogo librorum mss. Angliae et Hiberniae' (Oxon. 1697 vol. II p. 96), ubi nunc asservaretur, non contigit eruere.[3])

Licet igitur ad scriptoris verba restituenda omnes hi codices nullius sint pretii, id tamen indicant, quanti aestimatus sit ille a saeculi XVI et XVII viris doctis, velut Sambuco Holstenio Bigotio Spanhemio Sellero. In eodem numero habendi sunt Leo Allatius, Alexander Morus, Ernestus Grabe. Inter Grabii († 1711) enim adversaria in bibliotheca Bodleiana asservata extat *Alexandri Lycopolitae editio Combefisii, tomo 2 Auctar. Noviss. collata cum alio apographo MS. e cod. MS. in*

---

1) Cf. H. Omont *Inventaire sommaire du suppl. grec* indic. v. Bigot. De huius hominis studiis nonnulla dixit C. B. Hase in comm. de Laurentio Lydo (p. XXIV ed. Bonn.).

2) Commemorat hunc 'Spanhemii codicem' Io. Christ. Wolf in epistulis ad Lacrozium datis (thes. epist. Lacrozianarum ed. Uhlius Lips. 1743 vol. II p. 229 et 186).

3) Non extare videtur in bibliothecis Oxoniens., Cantabrig., musei Britannici. De Sellero cf. *Abednego Seller by Rev. J. S. Dudge, Plymouth 1886* et *Remarks and collections of Thomas Hearne edited by C. E. Doble, Oxford 1885.* Quibus ex libris cognoscitur ipsum a. 1705 Londini mortuum eiusque librorum maximam partem tunc esse divenditam.

Biblioth. Medic. Plut. IX. num. 23.[1]) Alexander autem Morus († 1670) in 'notis ad quaedam loca novi foederis' (Paris. 1668 p. 243)[2]) duos ex initio libelli adfert locos, quos, cum in isto opere bibliothecae Laurentianae potissimum utatur copiis, codici Mediceo debere existimandus est. Leo denique Allatius primus quod sciam Alexandrum sese editurum esse publice pollicitus est. Etenim ut erat sive ad exaggerandum immodice sive ad petulanter vituperandum prompta semper lingua, in 'notis et collectaneis in S. Eustathii commentarium in hexaemeron' (Lugdun. 1629 p. 30) *Christianorum philosophiam* ait *simplicem eiusque causam eruditissimus et φιλοσοφικώτατος Alexander Lycopolita libello vere aureo*[3]) *contra Manichaeos disertissimis verbis explicat, quem iam paramus commoditati publicae edendum.* Ipse dein exordium (usque ad verba *Πάπος τοὔνομα* p. 4, 17 ed. huius) et paullo post duos alios locos apposuit (p. 36). Codice autem usus est aut Vaticano gr. 1942 Portii apographo aut Ottoboniano gr. 194 olim Altempsiano, ex quo Methodii de libero arbitrio dialogi fragmentum se descriptum habere ipse

---

1) Cf. Coxii catal. codd. mss. bibliothecae Bodleianae I p. 864.

2) Primum editae sunt Mori notae Londini 1661, v. E. Rohde mus. Rhen. XXXII p. 332.

3) Longe aliter Valesius, de quo Combefis p. 2: 'offendit tamen tum Aegyptiacae phrasis perplexitate tum scribae imperitia Virum nostra aetate Graeca litteratura singularem atque amicum, Henricum Valesium, ut nec lectionem patienter tulerit, cum ei quoque Bigotius copiam fecisset sui exemplaris'.

narrat 'de Methodiorum scriptis diatribae' (Romae 1656) p. 339 sq.

Editus tandem est ad fidem — si dis placet — apographi Bigotiani[1]) a Francisco Combefis in 'bibliothecae graecorum patrum auctarii novissimi' parte altera Parisiis a. 1672, horum studiorum saeculo aureo. Sed quod editor in 'prolusione' librariorum neglegentiam conquestus de sua ipsius opera praedicat *factum tamen spero (amice lector) ut qua insudavi opera, omnem tibi prope refixerim* [sic], *ac quibus haereas pauca reliquerim*, id longe secus se habere inspecto Bigotii codice facile apparuit. Ipsius enim editoris sana temptantis, depravata etiam magis corrumpentis, cum singula aliquotiens verba tum tota nonnumquam enuntiata omittentis socordia et praepropera festinatione effectum est, ut libellus innumeris mendis inquinatus ex parte intellegi omnino non posset hominesque et docti et sagaces haud raro in ridiculos errores inducerentur.[2])

Versio latina a Combefisio curata repetita est in 'maximae bibliothecae veterum patrum' supplementi sive tomi XXVII parte altera p. 459—465 (Lugd. 1677). Et Graeca et Latina Combefisii in 'veterum patrum bibliothecam' recepit Gallandius t. IV p. 73 sqq. (Venet. 1768). Hanc rursus editionem inter patres graecos t. XVIII p. 411 sqq. (Paris. 1857) iteravit Migne, nisi

1) I. cod. Paris. suppl. graec. 270, cf. supra p. VII sq.. Bigotium *exemplar suum a Luca Holstenio magno munere* accepisse dicit Combefis. Cave tamen credas descriptum id esse ex Holstenii cod. Barber. III 81 vel apographo eius aliquo..

2) V. exempli gratia Ferd. Chr. Baur *das Manichaeische Religionssystem* (Tubingae 1831) p. 238 adn. 18.

quod typographorum errores aliquot sane apertos sustulit totamque disputationem in capita discripsit vel potius capitibus iam a Combefisio discriptis ex ordine numerorum notas addidit. Quo munere tam strenue functi sunt ut non raro sententiarum ordo ineptissime divelleretur uniusque enuntiati membra diversis capitibus tribuerentur.

Quae cum ita sint, in primis meum esse duxi exemplar Mediceum cum fide et religione exprimendo sordes priorum editionum abstergere. Quod ut mihi licuerit, laetus gratusque Henrico Rostagno nunc Florentino acceptum refero, qui aestivis a. 1892 mensibus meum codicis Vindobonensis apographum cum Mediceo contulit officiosissime.[1]) A nobilis autem huius libri lectione non recedendum existimavi, nisi loci aperte corrupti ea praesto esse videretur emendatio, qua et sententiae plane satisfieret et quo modo ortum esset mendum facile dispiceretur. In libello quamvis parvo non omnes sublatas esse difficultates et corruptelas et ipse video nec scio an duplici liceat excusatione uti: neque enim obliviscendum est de eo agi philosopho qui contra fabulas atque somnia argumentis pugnet et ratiocinatione; neque post Combefisium, qui pauca eaque levia sanavit, quisquam quantum scio inventus est, qui ei emendando operam et laborem vellet impendere.[2])

---

1) De locis nonnullis dubitantem me postea certiorem fecit Georgius Karo.

2) Cum mea causa libellum perlegissent Franciscus Buecheler et Hermannus Usener egregias aliquot emendationes mecum communicarunt.

De scriptore praeter ea quae ex ipsius libro eiusque titulo cognoscuntur nihil memoriae traditum est, nisi quod apud Photium *contra Manich.* I 11 praecipuos Manichaeorum adversarios enumerantem vocatur ὁ τῆς πόλεως *Λύκων* Ἀλέξανδρος τοὺς ἀρχιερατικοὺς ἐγκεχειρισμένος νόμους. Sed quo pauciora sciebantur, eo facilius licebat comminisci. Sic eum veterum deorum cultu relicto aliquantum Manichaeorum disciplinae sese applicasse priusquam ad Christi religionem converteret multi sunt qui narrent. Quam in opinionem adducti sunt verbis libello inscriptis *Α. Λ.* ἐπιστρέψαντος ἐξ ἐθνῶν πρὸς τὰς *Μανιχαίου* δόξας prave intellectis maleque inter se coniunctis — aptiorem enim nullum excogitari posse eius indicem quam πρὸς τὰς *Μανιχαίου* δόξας in propatulo est. Hos igitur merito deridemus. Sed ne Christianum quidem eum fuisse postquam breviter monuit Tillemont *Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique* IV 409 ed. II (Paris. 1701), Beausobre *Histoire critique de Manichée et du Manichéisme* (Amstelod. 1734) I 236 sqq., vir sobrii re vera iudicii, argumentis evicit potentissimis suoque iudicio comprobavit Ferd. Chr. Baur *das Manichaeische Religionssystem* (Tubing. 1831) p. 7 adn. 6. Nihilo tamen setius sibi vindicare eum non desiere homines litteris ecclesiasticis docti. Verum quid sit, qui libellum perlegit eum non potest latere. Ut brevi praecidam: Platonis disciplinam professus non Manichaeorum modo strenuus extitit adversarius, sed Christianae quoque 'philosophiae' iudex severus sane nec tamen infensus. Postea autem ad Christianam fidem eum convertisse quicumque verbis *Α. Λ.* ἐπιστρέψαντος ἐξ ἐθνῶν libello

praefixis memoriae tradere voluit, vereor ne ei non maior sit fides quam Photio vel archiepiscopum eum fuisse aperto errore adfirmanti.

Difficilius est quo tempore scripserit Alexander definire et quasi terminis circumscribere. Neque vero si deest spes ad certum id redigendi, idcirco cum Tillemontio et Bellesobrio desperandum. Immo proficiscendum est ab ipsius verbis (v. infra p. 4, 16): *καὶ οὐ πάλαι μὲν ἐπεπόλασεν ἡ τούτου* (i. *τοῦ Μανιχαίου*) *καινοτομία, πρῶτός γέ τις Πάπος τοὔνομα πρὸς ἡμᾶς ἐγένετο τῆς τοῦ ἀνδρὸς δόξης ἐξηγητὴς καὶ μετὰ τοῦτον Θωμᾶς καί τινες ἕτεροι μετ' αὐτούς .... τοιάδε οὖν τις φήμη τῆς ἐκείνου δόξης ἀπὸ τῶν γνωρίμων τοῦ ἀνδρὸς ἀφίκετο πρὸς ἡμᾶς.* Quibuscum haec coniungenda sunt (p. 8, 12): *ἐγὼ δὲ ὡς μὲν ταῦτα οὐχ ἱκανὰ ψυχαγωγῆσαι τοὺς ἀβασανίστως τὸν λόγον προσιεμένους οὐκ ἂν εἴποιμι, ὅπου γε καί τινας τῶν συνεσχολακότων ἡμῖν ἐν τῷ φιλοσοφεῖν* (Alexandriae opinor) *μετέστησεν ἡ τοιαύτη ἀπάτη τῶν λόγων πρὸς ἑαυτήν.* Quae qui animo non praeoccupato perpenderit, quin sua ipsius memoria primos illos Manichaei apostolos — quorum ne nomina quidem ignorat — in patriam suam migrasse scriptor voluerit intellegi, vix potest dubitare. Atque ipsum iam sectae auctorem ut quam latissime novam doctrinam propagarent discipulos in diversas orbis terrarum partes dimisisse memoriae proditur[1]) fidemque faciunt etiam epistularum

1) Testes graviores adfert G. Fluegel *Mani, seine Lehre und seine Schriften* (Lips. 1862) p. 174. Thomam illum non diversum esse ab eo, qui in 'actis disputationis Archelai et Manetis' (Routh reliq. sacr. V² p. 191) *partes Aegypti voluisse*

eius reliquiae.[1]) Sub finem igitur saeculi III[2]) in Aegypto, ubi illa postea longe lateque fluxit, apud gentem religionibus et superstitionibus deditissimam a pluribus tradita esse illius praecepta non est quod negemus, utique si meminerimus iam Diocletianum gravissime in eos consuli (edicto Alexandriae dato, v. cod. Gregor. XIV 4 p. 44* sqq. Haenel.) iussisse. Ex quo effici videtur scripsisse Alexandrum, si minus exeunte saeculo tertio, priore certe quarti parte; ultra eius aetatem protrudere non licet.[3])

---

occupare dicitur et in sollemni execrationis formula Manichaeis convertentibus praescripta (v. patrum apostol. opp. ed. a I. B. Cotelerio I² p. 545 et Iac. Tollii insign. itinerarii Italici [Traiect. 1696] p. 144 et Goar ritual. graec. p. 885) in praecipuis Manetis discipulis numeratur — id quod plerique sumpserunt —, propter hominum Thomae nomen ferentium multitudinem affirmare non ausim. Accedit quod alio loco (act. Arch. p. 70) in Syriam, alio (Epiphan. haeres. LXVI 12, cf. Theodoret. haeret. fab. I 26) in Iudaeam migrasse fertur. Multo etiam veri dissimilior est eorum opinatio (cf. Wesseling probabil. cap. 28 p. 249 et Beausobre l. c. I p. 77), qui Papum eundem esse voluerunt cum Paapide in eadem illa formula commemorato. *Παᾶπις* enim nomen Aegyptium ab Apide ductum est, *Πάπος* — vel potius *Παπᾶς* aut *Πάππος*, nam *Πάπος* nihili est — plane diversum. Kessler *Mani. Forschungen über die Manichaeische Religion* I (Berol. 1889) p. 43 et 219 ita omnia miscet ut legentem corripiat vertigo praerupta cernentis.

1) Cf. Kessler l. c. p. 213 sqq. Apud Abulfaragium LXXVI epistulae enumerantur.

2) De Manetis vitae temporibus v. Th. Noeldeke *Geschichte der Perser und Araber zur Zeit der Sasaniden aus der arab. Chronik des Tabari* (Lugd. 1879) p. 47, 5.

3) Vide quo modo a. 376 locutus sit Epiphanius (haeres. LXVI 12): *οὐκ ἔστι γὰρ ἀρχαΐζουσα ἡ αἵρεσις, καὶ οἱ συντετυχη-*

Eodem ni fallor redeunt quae de rebus Christianorum narrat et initio et p. 24. Nam de triumphante eum ecclesia ista dicturum fuisse vix mihi persuaserim. Et cum ne eo quidem tempore, quo opprimebatur fides Christiana ut ultimis Diocletiani et qui insecuti sunt annis, talia scribi potuisse quispiam crediderit, aut ad ea ducimur tempora quae persecutioni quam vocant Diocletiani antecesserunt[1]) aut quae eam subsecuta sunt. Sed quicquid de hac re statuetur, e re erit meminisse haud magno spatio eum afuisse ab iis temporibus, quibus Plotinus, eius forsitan popularis, gnosticorum doctrinam impugnavit[2]) magistrique ductu et auspiciis discipuli in novos hostes signa intulerunt[3]), etiam breviore autem ab ea aetate, qua cum alii multi (v. Lactant. div. inst. V 4) tum Porphyrius[4]), flos et

---

κότες τῷ προειρημένῳ Ἑρμείᾳ, μαθητῇ ὄντι τοῦ Μάνη, ἡμῖν τὰ κατ' αὐτὸν διηγήσαντο. At non solum Hermiae nomen verum etiam *τὰ κατὰ τὸν Μάνην* ex libris maximeque ex actis Archelai sumpsit.

1) Egregie concinunt cum Alexandri verbis quae Eusebius hist. eccl. VIII 1, 5 de huius aetatis moribus Christianorum narrat: *ὡς δὲ ἐκ τῆς ἐπὶ πλέον ἐλευθερίας ἐπὶ χαυνότητα καὶ νωθρίαν τὰ καθ' ἡμᾶς μετηλλάττετο, ἄλλων ἄλλους διαφθονουμένων καὶ διαλοιδορουμένων, καὶ μονονουχὶ ἡμῶν αὐτῶν ἑαυτοῖς προσπολεμούντων ὅπλοις, εἰ οὕτω τύχοι, καὶ δόρασι τοῖς διὰ λόγων, ἀρχόντων τε ἄρχουσι προσρηγνύντων καὶ λαῶν ἐπὶ λαοὺς καταστασιαζόντων κτἑ.*

2) V. Plotin. II 9 (*πρὸς τοὺς κακὸν τὸν δημιουργὸν τοῦ κόσμου καὶ τὸν κόσμον κακὸν εἶναι λέγοντας*) cl. Porphyrii v. Plotini 16.

3) V. Porphyrii v. Plotini 16.

4) Quatenus Alexandri de religione Christiana iudi-

robur Platonicorum, Christianam fidem evertere conisi sunt. Opera illorum deperdita sunt: ecclesia atroci bello tandem victrix hostilia confregit arma. Qui igitur factum est, ut hic libellus servaretur?

In Mediceo codice superesse vidimus Didymi Alexandrique contra Manichaeos disputationes et Methodii de libero hominis arbitrio dialogi fragmentum. Methodius[1]) vero, etsi non cum Manichaeis ei res est, de iis ipsis tamen rebus et copiose et eleganter disserit, de quibus gravissimae fuere hominibus ecclesiasticis cum illis dissensiones et contentiones: de principiis rerum duone sint an unum, de ratione quae intercedat deum inter et materiam, de malo quid sit et unde ortum, et quae sunt eiusdem generis. Non ergo forte fortuna hunc librum illis adglutinatum, sed ratione et consilio cum eis consociatum esse merito iudicabimus. Quid plura? Manu tenemus librorum ut ita dicam antimanichaeorum syllogam, exiguam eam quidem hodie, sed amplioris olim sine dubio corporis frustum.

Praefixum est carmen *εἰς τὸν Βασίλειον βασιλέα*, cuius hi servati sunt versus:[2])

. . . .

61 *ὑπεκπροχεύων παντὶ σώματος μέρει*
ἀπὸ κρατὸς καὶ μέχρι ταρσῶν εὐλόγως.
καὶ μαρτυρεῖ δὲ τοῦτον ὁ Χριστὸς λέγων·

---

cium consentiat cum Celso et Porphyrio, non fugiet intellegentes.

1) Integrum *περὶ αὐτεξουσίου* dialogum interpretum Slavonicorum industria servatum una cum fragmentis graecis edidit Bonwetsch *Methodius von Olympus* Erlang. 1892.

2) Describendi laborem Henricus Rostagno et Georgius Karo inter se partiti sunt.

'εὗρον τὸν ἄνδρα Βασίλειον τὸν μέγαν,
ὃν εὐκλεῶς ἔχρισα τῷ θείῳ σθένει,
ἐμοὶ ποθεινὸν ὄντα πρὸς τῇ καρδίᾳ,
ὡς ὄντα πιστὸν οἰκέτην μου καὶ φίλον,
ἐμῶν θελητὴν πανσόφων ἐνταλμάτων
καὶ τρισσοφεγγῶν εὐσεβῶν προσταγμάτων.'
Δαυῒδ νέος μὲν εἰς δόμους γεννητόρων,
μικρὸς δὲ τάξει τῆς ἀδελφικῆς φύτλης,
μέγας δὲ τῷ βλέποντι κρυπτὰ καρδίας·
οὐκ εὐδοκεῖ γὰρ σωμάτων εὐρωστίᾳ
ἀλλ' ἐν φαειναῖς πράξεσιν θείου βίου·
ἐκ ποιμνίων ἤρθη γὰρ εἰς ἀρχῆς κράτος
καὶ χρίεται τὸ χρίσμα τῶν ἀνακτόρων.
ὁ δεσπότης δὲ Βασίλειος, ἡ βάσις,
ὁ παγκράτιστος τοῦ κράτους ἐπώνυμος,
ἐγνωσμένος φὼς τῷ θεῷ πρὸ τοῦ τόκου,
ἄμωμος ἁγνὸς ἐστερημένος ψόγου,
σκεῦος πεφυκὸς ἐκλογῆς σεβασμίας,
ἐξ ἰδιωτῶν μετριωτάτου γένους
ἀπραγμόνων τε καὶ σεμνῶν γεννητόρων
πανευλαβῶν δὲ καὶ πανευσεβεστάτων,
κόσμῳ τ' ἄγνωστος τῷ θεῷ δ' ἐγνωσμένος,
τὸ θεῖον ὄντως χρίσμα τῆς ἐξουσίας
μέγαν τε θῶκον τῶν ἀνάκτων τοῦ κράτους
εἴληφεν ὡς ὢν ἄξιος τῶν ἀξίων.
δηλοῖ γὰρ ἡμῖν ἡ φερώνυμος φάσις,
ἡ τῷ μεγίστῳ τῶν βροτῶν καθαρσίῳ —|
βάπτισμ' ὃ δὴ καλοῦμεν οἱ λελουμένοι — f.16

---

66 καρδίαν M sed ν additum alia manu
69 τρισσοφεγῶν M

ὑπ᾽ ἀγγέλου δοθεῖσα τῷ κεκληκότι·
Βασίλειος γὰρ βασιλεὺς πρᾶος μέγας
εὐσυμπάθητος εὐπαρεκτικώτατος,
χρηστὸς γαληνὸς εὐδιάλλακτος μέδων,
σώφρων δίκαιος ἐγκρατὴς Χριστοῦ φίλος
καὶ τῶν ἐκείνου πανσόφων προσταγμάτων
ὅλος τελεστὴς καὶ πανασφαλὴς φύλαξ.
εἰ γάρ τις εἰς ἔννοιαν ἔλθοι τῶν πάλαι
XX ΣΤι τὴν τῶν ἀνάκτων ἀξίαν λελογχότων P
καὶ τὰς ἐκείνων πρακτικὰς θεωρίας
εἰπεῖν θελήσοι καὶ προδεῖξαι τῷ λόγῳ,
ἥττους φανοῦνται τοῦ κρατίστου δεσπότου.
τοιοῦτος οὐ γάρ ἐστι τῶν πάλαι μέδων
αὖθις νέων τε τῶν φορούντων τὰ στέφη
ἐν χρηστότητι καὶ θεουργικῷ βίῳ.
ἔδει μενοῦνγε τὸν κεκαλλωπισμένον
κλήσει πανόλβῳ τοῦ κράτους τῆς ἀξίας
ἄμοιρον εἶναι μηδ᾽ ὅλως τῶν πραγμάτων,
ἐν πράγμασιν γάρ ἐστιν ἡ τελειότης.
λεία βάσις γὰρ εἰκότως παρεσχέθη
βροτοῖς ἅπασιν ἐκ θεοῦ τοῦ δεσπότου,
ἐν ᾗ βαδίζων πᾶς τις ἀνθρώπων γένους
ὑπεκδιδράσκει συμποδῶν προσκομμάτων
τῶν τῇ τραχείᾳ προσπεφυκότων τρίβῳ,
ἷκται δ᾽ ἰθείᾳ καὶ πανωμάλῳ βάσει
τῶν παντοδαπῶν ποικίλων χαρισμάτων,
ὧνπερ παρέσχεν ἡ χάρις τοῦ πνεύματος.
τῷ χριστομιμήτῳ δὲ πανσέπτῳ λόγῳ
ταπεινόφρων πέφηνεν ὡς εὐεργέτης, |

---

116 ἴκται et ἰθεία et ita ubique M

ἐθνῶν ὑπούλων τοὺς ἀκαμπεῖς αὐχένας f. 169
σοβῶν δι' αὐτοῦ καὶ καθαιρῶν εἰς τέλος,
ἵππειον ἐχθροῦ Χριστὸς ὥσπερ τὸ θράσος
πώλῳ πατάσσων εὐτελεστάτῳ γένει.
τῇ πρᾳότητι πλουσιώτατος πέλει
πρόσταγμα πληρῶν ἐντολῶν θεηγόρων·
ἐντεῦθεν αὐτῷ κληροδοτεῖ γῆς τοὺς ὅρους
ἡ παντάνασσα τοῦ θεοῦ θεσμουργία,
τὸν μακαρισμὸν τῶν ἀνωτάτω γερῶν
τούτῳ νέμουσα καὶ πορίζουσα κλέος.
εἰρηνοποιός ἐστιν ὡς ὁ δεσπότης
Χριστός, τὸ σεπτὸν τῆς θεαρχίας σέλας,
πόρρω διώκων τὰς θεοστυγεῖς μάχας
ὡς κακοποιῶν προσφιλεῖς ἀλαζόνων,
πᾶσιν δὲ πλοῦτον τῆς γαλήνης προσνέμων
τῆς καλοποιοῦ καὶ πανημερωτάτης·
υἱὸς δι' αὐτῆς χρηματίζων, ὡς θέμις,
τοῦ παντάνακτος καὶ θεοῦ καὶ δεσπότου.
οἴκτου τὰ ῥεῖθρα δαψιλῶς ἀναβρύει
νέμων ἅπασιν πλουσίως ὑπηκόοις
ὑπὲρ τὸ πλῆθος ὑετοῦ σταλαγμάτων,
ἀεννάως βλύζει τε τὰς εὐποιίας
δρμὴν ἔχων ἄπληστον εἰς εὐπραξίαν,
μή πω κορεννὺς τὴν ἑαυτοῦ καρδίαν
εἰς τὰς προχεύσεις καὶ δόσεις τοῦ χρυσίου
καὶ τὴν πενήτων ἄπλετον χορηγίαν.
ὡς ἄλλο μηδὲν εἴπερ ἦν κεκτημένος
σοφὸν θεοῦ πρόσταγμα, τοῦτο καὶ μόνον

---

128 Deuteronom. 28
143 ὁρμὴν M

ἱκανὸν ἦν πλῆξαί τε τοὺς ἐναντίους
XX ΣΤΙ *ξενίζον αὐτὰς τὰς ἀσωμάτους φύσεις* | PN
169v *καὶ προξενοῦν τὰ θεῖα τῶν ἀνακτόρων*
κάλλη θεαυγῆ τῶν βροτῶν ὑπέρτερα
εὐωχίαν τε τὴν διηνεκεστάτην
ἀκηράτοις ἵκουσαν ἐν διεξόδοις
κρείττω τε πάντων ὡραϊσμῶν δρωμένων
καὶ τῶν ἁπάντων κοσμικῶν ἀνωτέραν.
ποῖος τόπος γὰρ οὐ γέμει δωρημάτων
τῶν τοῦ θεόπτου δεσπότου Βασιλείου;
πραιτωρίων μὲν οἱ τόποι πεπλησμένοι
πάλαι τε καὶ νῦν καὶ τὸ μέλλον εἰς τέλος
ἐν ἡμέρᾳ καὶ νυκτὶ βλυζόντων σφόδρα,
ἄβυσσος ὄντων μηδαμῶς κενουμένη·
καὶ πᾶς τις ἄλλος ἐνδεουμένων τόπος
πλήρης δέδεικται δεσπότου Βασιλείου
τῆς εὐσεβουργοῦ παντελοῦς εὐποιίας·
καὶ μέχρι πάντων ἐμβόλων τὴν πλουσίαν
ὑπεκπροτείνει παμφανῶς εὐσπλαγχνίαν.
πρὸς ταῦτα πάντως εἰκός ἐστιν ἐκφράσαι
τοὺς ἀγγέλους ἄνωθεν εὐλόγῳ λόγῳ
σαφῶς τὸ ῥητὸν τοῦ πάλαι Κορνηλίου·
'οἱ σοὶ μὲν οἰκτιρμοί τε καὶ μέγας τόνος
τῶν σῶν προσευχῶν ἐν προσώπῳ κυρίου
εἰς οὐρανὸν προσῆλθον ἀπτέρῳ τάχει
πρὸς σὴν ἄληστον μνημονευτικὴν χάριν
εἰς τοὺς ἀπείρους καὶ διηνεκεῖς χρόνους
αἰώνιον μισθόν τε καὶ σωτηρίαν.'
ποῖος βροτὸς πόνοις δὲ συμπεφυρμένος

---

170 Act. apost. 10, 30 sqq.

ἔχων τε θλίψιν ἐκ δυναστῶν τῆς βίας
ἀρχοντικῇ τε καταδρομῇ δεδμημένος
καὶ τῷ τυράννῳ καὶ σπαρακτικῷ θράσει, |
εἶτα προσελθὼν τῷ γαληνῷ δεσπότῃ, f.171
οὐκ εὐθὺς εὗρε τὴν λύσιν τῶν σφαλμάτων
καὶ τὴν ἄμειψιν ἐνδίκως τῶν πρακτέων;
τίς τῶν πάλαι γὰρ καὶ νέων ἀνακτόρων
τοιοῦτον ἔσχεν εὐπρεπέστατον τύπον,
ὡς πᾶσιν ἄρδην ἐξ ἴσου προστυγχάνειν
νέοις γέρουσιν ἀστικοῖς τε καὶ ξένοις
ἄρχοντα καὶ πένητα μὴ διακρίνων,
καθὼς ἔφησεν ἡ θεοῦ θεσμουργία;
ἄναξι μὲν τοῖς πρόσθεν ὀφρὺς ἦν θράσους
τοῖς προσπεσοῦσι μὴ νέμειν τὰς ἐκβάσεις·
ὁ δ' αὖ ποθητὸς τῷ θεῷ Βασίλειος,
ὁ πανσέβαστος πάγκλυτος στεφηφόρος,
ἐπὰν προσέλθοι τις βροτῶν οἰκτρὸς πάνυ,
παραβλέπει μὲν οὐδ' ὅλως τὸν πλησίον,
κλίνας τὸ οὖς δὲ πᾶσι τοῖς λόγοις τότε
δίδωσι τὴν αἴτησιν ἐν προθυμίᾳ.
ἅπαντα ταῦτα Χριστὸς ὁ ζωῆς ἄναξ
ἐν οὐρανοῖς ἔγραψεν εἰς θεῖον θρόνον·
XX ΣΤΙ διὸ κραταιοῖ τοῦ σεμνοῦ Βασιλείου Σ
τὸ βασίλειον ἐν θεῷ κατὰ κράτος,
οἶδεν γὰρ οἶδεν ὕψος εἰς φέρειν μέγα
τοὺς τὴν ἔπαρσιν μηδ' ὅλως κεκτημένους.
ἀλλ' ὦ θεουργὲ τῶν ἁπάντων κτισμάτων
ἄναξ ἀνάκτων Χριστὲ φῶς θεοῦ λόγε,

---

189 Deuteron. 16, 19. Exod. 23, 6
190 ὀφροῦς M

πατὴρ σὺν υἱῷ πνεῦμά τε ζωηφόρον
τὸν γῆς ἄνακτα, τὸν φοροῦντα τὸ στέφος,
Βασίλειον τὸν πιστὸν ὄντα σὸν λάτριν
τῇ δεξιᾷ σου τῇ παναλκιμωτάτῃ
φρούρει φύλαττε καὶ βλάβης πάσης σκέπε |
f. 171ᵛ *δρωμένων ἐχθρῶν τε καὶ κεκρυμμένων.*
δὸς νῖκος αὐτῷ τῶν ἐθνῶν κατὰ κράτους
ὑπὲρ τὸ νῖκος δαυϊτικῶν μυριάδων,
πρόσπονδα δεικνὺς τοῖς ποσὶν τοῦ δεσπότου
ἅπαντα φῦλα βαρβάρων κληρουχίας,
τούτων τροποῦσθαι τὰς φάλαγγας καὶ στίφη
καὶ τοὺς Μάνεντος μυσταγωγοὺς καὶ φίλους.
ἔκτεινον αὐτοῦ τοὺς χρόνους μηκεστάτως
ὑπὲρ προφήτου Μωσέως τὰς ἐκτάσεις,
διδοὺς ἄπλητον εὐετηρίαν βίου
καὶ τῆς χαρᾶς πάντερπνον εὐρυχωρίαν,
εἰρηνικῶς ἄγειν τε πάντα τὸν χρόνον
μάχης ἄνευθε καὶ λύπης καὶ φροντίδων,
ἄτερ δὲ δεινῆς ἐθνικῆς παρουσίας.
σύστειλον ἐχθρῶν τοὺς φθόνους καὶ τοὺς δόλους
καὶ τοὺς ἐκείνων δυσμενεστάτους λόχους.
θαυμαστὸν αὐτὸν δεῖξον εἰς ἔθνη λόγε
ἔχοντα τὴν σὴν ἀπρόσιτον ἐλπίδα
λιταῖς ἀλήκτοις τῆς πανυμνήτου κόρης
τῆς παντανάσσης καὶ πανάγνου παρθένου
καὶ τῶν ἁπάντων ἁγίων αἰωνίως. ΣΛΛ

Haec cur isti syllogae praemissa sint, etsi non statim apparet — id quod haud dubie LX priorum versuum iactura effectum est —, non tamen difficile est ad investigandum.

Nemo enim nescit saepissime libris manu scriptis et praefigi et subtexi carmina, idque variis de causis factum esse consentaneum est. Ut praetermittam versus aut a librariis aut a possessoribus animi causa fusos ut ab hoc loco alienos, tria potissimum eorum genera distinguenda sunt. Aut laudes continent scriptoris[1]) cuius opera codici insunt — talia longe sunt frequentissima et in anthologiis quoque similibusque libris velut apud Diogenem Laertium inveniuntur —, aut eius ad quem scriptor[1]) libros suos misit[2]), aut denique eius cui codex ipse ab homine aliquo litterato[3])

---

1) Scriptoris nomine mihi hoc loco ei quoque comprehendendi sunt qui aliorum scripta recensuerunt et publicarunt (cf. e. g. A. Eberhardi praef. fabul. romanens. graec. p. VII sqq.) et qui nil nisi excerpta composuerunt (cf. epigrammata excerptis Constantini historicis et de natura animalium praemissa) et quicumque similibus studiis operam navarunt (cf. senarii Nicetae *συναγωγῇ τῆς χειρουργικῆς τέχνης* adiecti in Bandinii catal. codd. gr. bibl. Laur. III p. 80 sqq.).

2) Ex maximo exemplorum numero duo afferam saeculi IX et X ineuntis: Theognosti versus quibus *κανόνας* Leoni VI Sapienti dedicat [non Leoni V Armenio, neque enim aut versus illi aut quae leguntur Crameri Anecd. Oxon. II p. 2, 18 *σοὶ ἐπ' αὐτῷ τῷ ἄνθει τῆς νεότητος* et p. 2, 1 *ἐν οὕτω νεαρᾷ* (*νεκρᾷ* Cramer.) *τῇ ἡλικίᾳ τὸ κράτος ἔχοντι* in hunc quadrant, optime quadrant in unum Leonem Sapientem] et Genesii epigramma 'regnorum' libris ad Constantinum VII Porphyrog. missis additum.

3) Huius generis duo sunt epigrammata eam ob causam confecta, ut codicibus Leoni VI imperatori donandis praefigerentur: alterum Petri Patricii Theodoreti *ἑλληνικῶν παθημάτων θεραπευτικόν* (v. Lambecii comm. IV² p. 400 sq.), alterum hominis nescio cuius librum tacticum offerentis (v. R. Foerster Hermae XII p. 462).

oblatus cuiusve in usus exaratus est.[1]) Sunt etiam de quibus dubites cuinam horum generum aptissime tribuas. Versibus autem codice Mediceo servatis utrum syllogae illius conditorem, an eum cuius in usus ea descripta, an cui oblata esset celebratum esse imperatorem malis, si rem spectas, fere idem est. Ipsum enim Basilium (cf. infra p. XXVIII) libros conquisivisse et collegisse quis est qui credat? Quicquid igitur LX illis versibus deperditis dictum fuisse sumis, re ipsa adduceris ad suspicandum corpus illud librorum antimanichaeorum carmine adiecto Basilio imperatori esse dedicatum. Quod pro certo licebit affirmare, contingat modo quam ob causam id fieri potuerit probabiliter explicare.

Gravissimi totius carminis sunt versus 212—217. His cum ipsi commemorentur Manichaei monstratur via.

Basilius Macedo cum Michaele occiso a. 867 gubernacula rei publicae prehenderet, nullum gravius imperio Romano imminebat periculum quam quod a Paulicianorum secta creabatur; quos non solum originem ducere a Manichaeis putabant, sed ipsos etiam Manichaeorum nomine vulgo compellabant. Diu enim ab imperatoribus Romanis maximeque Theodorae crudeli pietate[2]) vexati et oppressi Armeniae in montes con-

1) Cf. Basilii imp. codicem operum Gregorii Naz. (infra p. XXVIII 2) et parallelorum librum Eudociae Augustae (Montfaucon pal. gr. p. 295 sq.) et Zachariae papae codicem dialogorum Gregorii M. (Batiffol Mél. d'archéol. et d'hist. VIII p. 303).

2) *Κατὰ τὸ ὑπὸ κυρίου εἰρημένον ἐν εὐαγγελίοις* [Luc. 19, 27]· *τοὺς μὴ θέλοντάς με βασιλεῦσαι ἐπ' αὐτοὺς ἐνέγκατε ἔμπροσθέν*

fugerant suisque legibus et institutis usi novam civitatem condiderant. Unde Saracenorum auxiliis aucti et confirmati crebris incursionibus totius fere Asiae agros vastabant, urbes diripiebant, cuncta ducebant et trahebant. Neque prius hoc periculum extinctum est, quam bello plures per annos ancipiti Marte gesto Chrysocheres dux interfectus et praecipua eorum castella expugnata sunt. Quod factum esse videtur aut a. 871 aut non multo post.[1]) Versus igitur quibus instans aut flagrans tunc bellum Paulicianorum spectatur, inter annum 867 et 871 conscriptos esse necesse est.[2])

Neque vero tunc armis solummodo adversus istos pugnatum est. Haud enim multo ante quam in exilium missus est (a. 867)[3]) Photius patriarcha tres composuit libros quibus unde orta esset secta expli-

---

μου καὶ κατασφάξατε αὐτούς, ut ait Petrus Siculus hist. Manich. c. 21 extr.

1) De Basilii cum Paulicianis bello cf. Georg. monach. contin. p. 755 sq. Muralt., Genesii regnorum l. IV p. 115 et 120 sqq. Bonn., Constant. Porph. v. Basilii (= Theoph. cont. V) c. 37—43, a quibus omnes posteriores pendere totos exposuit Ferd. Hirsch *Byzant. Studien* (v. p. 169 sqq. 248 sqq.). Quae rerum Arabicarum scriptores tradunt v. apud Weil *Geschichte der Kalifen* II p. 470 sqq.

2) Carmen factum esse non multo post quam Basilius regnare coeperit, etiam ex omnibus quae de illius virtutibus dicuntur dilucide apparet.

3) Cf. *διήγησις περὶ τῆς Μανιχαίων ἀναβλαστήσεως* cap. 27. Quoniam mox interituram esse sectam praedicere ausus est, scripsisse videtur quo tempore iam maiore apparatu bellum parabatur. V. etiam Hergenroether *Photios Patriarch von Constantinopel* III p. 146.

caret et ne latius serperet pestis caveret, quartumque postea exul ad Arsenium abbatem misit. Anno autem fere 870[1]) Petrus quidam Siculus simili ratione similibusque verbis historiam Manichaeorum scripsit eorumque insuper errores sex libris refutare instituit. Iisdemque his temporibus attribuenda videtur recipiendorum Manichaeorum formula a Cotelerio Tollioque edita.[2]) Qua quae de Paulicianorum rebus et opinionibus dicuntur, ea ad verbum fere conveniunt cum Photii narratione[3]) adeo ut aut ab ipso Photio

---

1) Cf. Hergenroether l. c. p. 148. Quae nuper de Photii Petrique libris singulari cum levitate disputavit Karapet Ter-Mkrttschian *die Paulikianer* Lips. 1893, ea pluribus refellere ab hoc loco alienum est.

2) Cf. supra p. XIII sq. not. 1. Quae posui longum est hoc loco accuratius demonstrare.

3) Cf. p. 144—148 Toll. (545 Cot.) cum Photii I 25 et 6—10,

veluti p. 144 (545):	Phot. c. 6:
ἀνάθεμα τοῖς μὴ λέγουσι πατέρα παντοκράτορα ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς καὶ τῶν ἐν αὐτοῖς ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων, ἀλλὰ μόνον πατέρα ἐπουράνιον, ἔχοντα μόνον τὴν τοῦ μέλλοντος ἐξουσίαν [αἰῶνος], ὡς τοῦ παρόντος αἰῶνος καὶ τοῦ κόσμου παντὸς οὐχ ὑπ' αὐτοῦ γενομένων ἀλλ' ὑπὸ τοῦ ἐναντίου αὐτῷ τοῦ πονηροῦ κοσμοκράτορος.	πατέρα εὐθέως οὐ τὸν παντοκράτορα καὶ ποιητὴν οὐρανοῦ καὶ γῆς ὁρατῶν τε πάντων καὶ ἀοράτων ἀνακηρύττοντες, ἀλλὰ πατέρα φάμενοι τὸν ἐπουράνιον ἐπισυνάπτουσιν . . . et paullo ante: τὸν ἐπουράνιον πατέρα, ὃν καὶ τῆς τοῦδε τοῦ παντὸς ἐξουσίας ὑπερορίζουσι τοῦ μέλλοντος μόνον τὸ κράτος αὐτῷ ἐγχειρίζοντες· ἕτερον δὲ τὸν δημιουργὸν τοῦ κόσμου, ᾧ καὶ τὸ κῦρος τοῦ παρόντος αἰῶνος χαρίζονται.

Re idem sed verbis diversis dicunt Petrus abbas c. 6 (ed. Gieseler append. ad Petri Siculi hist. M. Gotting. 1849) et Petrus Siculus c. 10.

aut eius iussu confectam esse eam iure opinor suspiceris.[1])

